



NECHEPSONIS ET PETOSIRIDIS

FRAGMENTA MAGICA

DISSERTATIO PHILOLOGA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XXV MENSIS IVNII ANNI MDCCCXC HORA XII DEFENDET

Ernst

ERNESTVS RIESS, 1865-

HAMBVRGENSIS

ADVERSARII ERVNT

GVILELMVS BECKER
PAVLVS RVBEN
MAXIMILIANVS STRACK

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGR. ACAD.

MDCCCXC

FRANCISCO BVECHELER
HERMANNO VSENER

Astrologia quanta potentia fuerit antiquitate praecipue labente, exemplis demonstrare opus non est. Nemo tamen grammaticorum, quos nostra aetas tulit, operae pretium duxit ad ipsos astrologorum, qui ad nos pervenerunt, libros accedere, cum chartarum magicarum, quas sepulcra Aegyptia nobis reddunt, multi iam rationem habuerint. Quamquam haud scio an non aequi aestimanda sit scientia illa tot principum modo favore ad caelum sublata, modo pavore humi prostrata. Ac mihi quidem, cum instituissem superstitionis antiquae historiae animum advertere, non inutile visum est hanc quoque siderum scientiam perscrutari. Itaque Usenero, praeceptore benignissimo, suadente hoc primum adgressus sum, ut eius artis antistites Aegyptii, Nechepsos et Petosiris, quae scripta reliquissent, quantum possem, congererem, congesta et in ordinem redacta explicarem.

Qua in commentatione primum quid de vita Nechepsonis et Petosiridis erui possit, exponam, deinde de eorum scriptis horumque memoria disseram, librorum denique ipsorum fragmenta, quoad potui in ordinem restituta, recensebo.

Sed antequam ad ipsam rem accedamus, breviter libet referre hominum recentiorum de hac materia studia. Primi, quantum video, commemoraverunt N. et P. duo illi philologiae heroes, Scaliger (in notis ad Manilium) et Salmasius (in diatriba de annis climactericis). Post quos multos collegit locos Marsham (in canone chronico), cui haud pauca et sua et aliorum addidit immortalis memoriae vir, I. A. Fabricius (in Bibliotheca Graeca). Brevem eorum mentionem Malincrot paralipomenis, Harduin Plinio suo, Lambecius catalogo Vin-

dobonensi inseruerunt. Hac denique aetate illorum non oblita est Paulii encyclopaedia, disseruit nonnulla de eis Wiedemann in utraque historia Aegyptia.

Caput I. De vita.

Aegyptios et Nechepsonem et Petosiridem fuisse, quicumque illos memoraverunt, consentiunt. Quo tamen tempore vixerint nemo tradit, ita ut plane coniecturis campus pateat, nisi quod ab omnibus inter antiquissimos recensentur. Ac putares tum demum, cum talia scripta magica fingi coepta essent, h. e. Alexandrinorum aetate, nomina quoque inventa esse, nisi duo obstarent argumenta. Unum est, quod in canone Eusebiano e Manethonis auctoritate dynastiae, quam vocant, vicesimae sextae, adscribitur rex Nechepsos, qui sex annos regnasse fertur (ed. Schoene, p. 10 = F. H. G. II 593). Tamen silentio non praeteribo a Wiedemanno, harum rerum peritissimo [1], hunc ipsum, si virum doctum recte intellego, inter fictos reges reici, quod nullo monumento eius regnum nobis notum fiat. Quo pluris faciemus alterum argumentum. Exstat enim papyrus demotica, quam commemoravit Lauth (in muench. sitzungsber. 1875, II, p. 89 sq.), scripta anno Psammetichi I quadragesimo quinto, h. e. circa annum a. C. n. 619, cuius versu quarto decimo secundum Lauthii versionem haec traduntur: Nechepsonem publici iuris fecisse librum de motu caeli cyclico, quae verba redeunt vs. 21, ubi aperte nomen hominis regio, quod vocant, scuto includitur [2]. Accedit huc

---

[1] gesch. aeg. v. Psamm. bis Alex. p. 116. Restrinxit vero iudicium in libro aegyptische geschichte p. 601.

[2] Non tacebo autem secundum Wiedemannum de nominis lectione non constare. De Petosiride tamen, quantum video, nemo dubitavit.

altera charta, biennio post scripta, cuius principem tenet personam Petosiris, qui sacerdos vocatur triadis illius Osiridis, Hori, Isidis in oppido Abydeno, item Ammonei templi Thebani; vs. 14 eius sapientia, qua omnes homines gaudeant, praedicatur. Et, si fides habenda est Lauthio, duae hae papyri communi causarum nexu continentur, ita ut hic quoque coniuncti appareant Nechepsos rex cum sacerdote Petosiride. Vides igitur certum nobis finem dari, ante quem auctores illos, siqui omnino fuerunt, vixisse necesse sit. Neque adeo longum spatium inter N. et papyri aetatem intercedere posse mihi persuasi, cum P. videatur ipso documenti tempore vivus esse.

Utrum autem veri homines fuerint N. et P. (quod Lauth p. 101 negare videtur), necne, ego diiudicare nequeo. Hoc tamen certo evincitur, vel antiquissimo testimonio alterum pro rege haberi. Quod non iure Wiedemann negavit. Is enim (gesch. aeg. p. 156, repetiit, in libri alterius l. i.) in eo argumento nititur, quod et Plinius et Ausonius (quorum ille, ut postea videbimus, Nigidium, hic Suetonium idemque fortasse Nigidium exprimit), regis titulum Nechepsoni non tribuant. Hunc enim, inquit, non omisissent, si tunc rex N. notus fuisset. Quod argumentum quantum valeat ad negandum unusquisque intellegit. Quam levis in excerpendo auctore fuerit Plinius, ex artis historia satis notum est, Ausonius vero ne Suetonium quidem ipse adiit, sed Paulini amici epitomen poeticam. Tenebimus igitur regem fuisse Nechepsonem. Qua in re recentiores certe omnes omnino consentiunt. Nam Galenus eum regem expresse appellat; tum Firmicus inter N. et P. sic discernit (l. VIII, c. 5): P. et N., quorum alter imperii gubernacula tenuit (cf. l. IV, c. 16: N., Aegypti iustissimus imperator). Petosiris autem nunquam rex audit, si excipis unum Vetti locum (l. III, c. 1), qui nisi librarii neglegentia corruptus est, incuriae excerptoris tribuendus erit. Ceteris enim omnibus locis aperte βασιλεύς illi est N.; licet enim nunquam nomen addat, tamen (l. VI, c. 11) sic illos

coniungit: βασιλεὺς καὶ Πετόσιρις. Quam memoriam vel aetas Byzantina tenuit. Nam circulo prognostico priori, qui exstat in codicis Parisini 2419 fol. 32 subscribitur: Πετοσίρου (!) μαθηματικοῦ πρός Νεχεψὼ τὸν βασιλέα. Qui quam antiquus sit, inde colligas, quod circulo simillimo exempli vice addita est pugna inter Davidem et Goliath pugnata (cf. Iriarte, cat. Matr. cod. 84, fol. 130ᵛ)!

Credebantur hi duo viri auctores praecipui astrologiae Aegyptiae, cui, ut fieri solebat, adnectebatur scientia iatromathematica [1]. Sed ut dignitati eorum ne quid deesset, cum dis commercium habuisse et ferebantur et ipsi, ut videtur, adfirmarant. Nam non solum Firmicus eos tradit scientiam accepisse ab Aesculapio, quod si credere non vis, sic explica, ut e libris Hermeticis in suos libros nonnulla eos transtulisse sumas, sed et ipse Firmicus et Proclus ille Platonicae scholae auctor non minimus, deos ab illis aditos esse, ut nos dicimus usi sacrae scripturae verbis 'von angesicht zu angesicht', pro certo nobis venditant [2]. Quocum, si lubet, conferas, quae Vettius ex ipsis Nechepsonis et Petosiridis libris adfert de voce caelesti, quae illis oracula dederit (V. V. l. VI, praef.). Sed harum nugarum finem faciamus.

Caput II. De scriptis.

Ordiendum nobis est a Suidae verbis, qui haec tradit: Πετόσιρις. Αἰγύπτιος. φιλόσοφος. καθὰ Ἕλληνες καὶ Αἰγύπτιοι τὰ περὶ θεῶν διετάξαντο [3]. Ἐπι-

---

[1] F. M. l. VIII, c. 5. interpres anonymus Ptolemaei p. 111, 27; 112, 51 ed. Basil. 1559.

[2] F. M. l. III, praef. Proclus in rem publ. Platonis (in Schoellii A. G. II, p. 120).

[3] sic Usener. τὰς et ⟨φήμας⟩ Bernhardy.

λογὰς ἐκ τῶν ἱερῶν βιβλίων. ἀστρολογούμενα. καὶ περὶ τῶν παρ' Αἰγυπτίοις μυστηρίων.

Ac ne longus sim, de primo, quem Byzantinus commemorat, libro nihil omnino aliunde compertum habemus. Conicere hoc tantum licebit, egisse Petosiridem illis libris aut de cultu deorum apud Graecos Aegyptiosque aut de nominibus fabulisque et de necessitudine, quae inde inter deos Graecos et Aegyptios interesse putanda esset. Quem librum satis recentem fuisse ipse titulus prodit. Huc fortasse referendum est fragmentum theurgicum, quod nobis Proclus servavit. Tradit nobis Platonicus docuisse Petosiridem, virum fide dignissimum, quo modo 'Ανάγκη dea invocanda esset. Quod cum neque ad astrologiam neque ad iatromathematicam pertinere possit et vix videatur locum habere in opere περὶ τῶν παρ' Αἰγυπτίοις μυστηρίων, ad hunc primum librum ut traham, maxime adducor. Sed in dubio rem relinquamus necesse est, cum nescio an quis suo iure alteri haec libro tribuat ἐπιλογῶν ἐκ τῶν ἱερῶν βιβλίων, de quibus statim videbimus.

Operis de Aegyptiorum mysteriis nullum vestigium nobis relictum est. Unus Suidas hunc librum novisse videtur, cum ad unum omnes testes de eo altum teneant silentium. Nam certe huc non spectat, quod Nechepsonem Ausonius Suetonium secutus magorum praeceptorem fuisse tradit in vana mysteriorum scientia. Nam adeo vaga haec verba sunt, ut ad Aegyptiorum sacra religiosa — et de his Suidam dicere mihi persuasum est — referre temerarium sit.

Notissima omnium nobis sunt 'Αστρολογούμενα, quorum plenam memoriam servaverunt omnes auctores, qui omnino Petosiridem nominant, inde a Plinio usque ad scholiastas Ptolemaei. Sed postea de hoc opere fusius disputabimus.

Quaenam autem fuerunt illae ἐπιλογαὶ ἐκ τῶν ἱερῶν βιβλίων? Sacri Aegyptiorum libri multi memorantur a veteribus, ut multifariam de his possis iudicare. Sed paene

suspicor coniungendum hunc librum esse cum ipsis astrologicis. Etsi enim Manetho personatus pro stultitia sua, quam iure acerbissime castigat Koechly, testis fide indignus videri potest, verisimile tamen hoc saltem est, eum de Petosiride non tradidisse, nisi quae volgo quoque crederentur. Is igitur in praefatione libri, quem ferunt, quinti hausisse se dicit ἐξ ἀδύτων ἱερῶν βίβλων. Quorum cognitionem cum uni Petosiridi tribuat, adducor, ut credam ipsius P. hos sacros libros fuisse. Quod si ita est, veri simile fit, apud Suidam quoque unius operis duo titulos adferri, qui nescio an sic iungendi sint: ἐπιλογὰς ἐκ τῶν ἱερῶν βιβλίων ⟨ἢ⟩ ἀστρολογούμενα.

Astrologiae igitur libros composuit Petosiris. Iam oritur quaestio, idemne hoc opus sit atque illud, quod duobus una viris tribuant. Quod ut per se veri simile est, ita certum fit eo, quod Valens (l. III, c. 5) eadem verba τῷ παλαιῷ dedit, quae (l. VI, c. 11) expressis verbis Nechepsoni tribuit; ὁ παλαιός autem Petosiris est. Nam secundum scholiastae in Ptolemaeum testimonium is omnino ὁ ἀρχαῖος audiebat. Qui autem fieri potuit, ut illic Petosiridi tribuerentur, quae Nechepsoni hic, nisi unum idemque opus, cuius uterque auctor fuit, designatur?

Quot libris composita fuerint ἀστρολογούμενα, decerni vix potest. Tertium decimum librum commemorat Vettius (l. III, c. 5); sed fatendum est haud ita magni hoc testimonium aestimandum esse. Facile enim ex ἐν τῆι γ̄ oriri potuit ἐν τῇ ιγ̄. Huic libro vulgo continuant librum quartum decimum iatromathematicum, quem Nechepsoni tribuit Galenus (l. X, c. 18). Firmari videtur haec opinio Ptolemaei loco (l. I, 2), qui haec tradit: τούτοις δὲ (coniunctioni inter prognosin apotelesmaticam et medicam), ὡς ἔοικε, συνεγνωκότες οὕτως ἔχουσι καὶ οἱ μάλιστα τὴν τοιαύτην δύναμιν τῆς τέχνης προαγαγόντες Αἰγύπτιοι συνῆψαν πανταχῇ τῷ δι' ἀστρονομίας προγνωστικῷ τὴν ἰατρικήν. οὐ γὰρ ἄν ποτε ἀποτροπιασμούς τινας καὶ φυλακτήρια καὶ θεραπείας συνίσταντο πρὸς τὰς ἐκ τοῦ περιέχοντος ἐπιούσας ἢ προούσας

περιστάσεις καθολικὰς καὶ μερικάς, εἴ τις αὐτοῖς ἀκινησίας καὶ ἀμετατρεψίας τῶν ἐσομένων ὑπῆρξε δόξα. νῦν δὲ καὶ τὸ κατὰ τὰς ἐφεξῆς φύσεις ἀντιπρᾶξαι δυνάμενον, ἐν δευτέρᾳ χώρᾳ τὸν καθ' εἱμαρμένην τιθέμενοι, συνέζευξαν τῇ τῆς προγνώσεως δυνάμει τὴν κατὰ τὸ χρήσιμον καὶ ὠφέλιμον διὰ τῶν καλουμένων παρ' αὐτοῖς ἰατρομαθηματικῶν συντάξεων μέθοδον, ὅπως διὰ μὲν ἀστρονομίας τάς τε τῶν ὑποκειμένων συγκράσεων ἰδιότητας εἰδέναι συμβαίη καὶ τὰ διὰ τὸ περιέχον ἐσόμενα συμπτώματα καὶ τὰς ἰδίας αὐτῶν αἰτίας, ὡς ἄνευ τῆς τούτων γνώσεως καὶ τῶν βοηθημάτων κατὰ τὸ πλεῖστον διαπίπτειν ὀφειλόντων, ἅτε μὴ πᾶσι σώμασιν ἢ πάθεσι τῶν αὐτῶν συμμέτρων ὄντων, διὰ δὲ τῆς ἰατρικῆς ἀπὸ τῶν ἑκάστοις οἰκείως συμπαθούντων ἢ ἀντιπαθούντων τάς τε τῶν μελλόντων παθῶν προφυλακὰς καὶ τὰς τῶν ἐνεστώτων θεραπείας ἀδιαπτώτους, ὡς ἔνι μάλιστα, ποιούμενοι διατελοῦσι. Quibus verbis meritam laudem tribuit scholiasta (p. 151 ed. Bas. 1559): ὅτι δὲ ταῦτα ἀληθῶς λέγει... πιστοῦται διὰ τῆς τῶν Αἰγυπτιακῶν βιβλίων παραδόσεως. οὗτοι γὰρ οἱ Αἰγύπτιοι ἐγνωκότες τὴν αἰτίαν τῆς τοιαύτης ἀγνοίας οὐκ ἰδίᾳ μὲν τὰ ἰατρικὰ συνέταξαν, ἰδίᾳ δὲ τὰ ἀστρολογικὰ καὶ τὰ τελεστικά, ἀλλ' ἅμα πάντα συνέγραψαν (cf. etiam Firmici l. IV, c. 16). Tamen errare puto viros doctos. Manifesto enim per totum librum XIII magni momenti a rege aestimari τὸν τοῦ κλήρου τῆς τύχης τόπον Vettius l. i. testatur. Cum autem aperte aliquem ordinem summus astrologiae auctor servaverit, credi non potest sortem Fortunae, quam in ipsa vitae substantia definienda summam fuisse constat, in ultimo librorum proprie astrologicorum fine positam fuisse. Hoc enim omnino negari debet intercalatum fuisse aliquem de medicina librum inter medios astrologicos. Adde quod, si hoc concedemus, necesse erit omnia illa, quae de medicina Nechepsonis regis traduntur, uni eidemque libro tribuere, inter quae sunt, quorum cum medicina siderali cognatio admodum incerta est; ut illa, quae Aetius — usus autem hic est auctoribus minime con-

temnendis — de armeniaco pictorum adfert. Accedit denique, ut mihi quidem videtur, luculentum de hac re testimonium. Firmicus enim (l. VIII, c. 3), 'hunc enim locum', inquit, 'divinus ille Necepsos, ut remedia valetudinis inveniret, diligentissime quidem, ut divinum tanti viri potuit ingenium, manifestis tractatibus explicavit. Huius ego libri interpretationem alio tibi tempore, Mavorti decus nostrum, intimare curabo'. Agitur autem hoc loco de Piscium gradibus 28 ad 30, qui caecitatem efficiant, atque aperte mea quidem sententia dicit F. remedia valetudinis a N. separatis libris quaesita atque tractata esse. Porro, qui accurate inspexerit, quae infra in fragmentis operis medici et inter suppositicia vulgabuntur, collatis Democritea illa sphaera papyri Leydensis V aliisque huius generis monumentis, facile, quemadmodum Ptolemaei verba supra adlata interpretanda sint, intelleget.

Erant autem, si solitum astrologorum ordinem sequimur, sat multa, quae post librum XIII explicanda erant. Illum enim ad ipsam genituram respexisse veri simile est: relinquebantur igitur quaestiones de nuptiis, de mortis exitu, aliae, quas a duobus viris tractatas fuisse docet Vettius (l. IV? c. 23 et 25).

Noli autem mirari XII libros ab illis absolutos esse, antequam ad κλῆρον τύχης pervenirent. Amplissimum enim eorum opus fuisse etiam nunc probari potest. Egerunt enim non solum de astrologia, quam vocant speciali et generali, quae per μετέωρα decernebat — propter hoc ipsum veri simile videtur egisse eos de aeris quoque et tempestatis per sidera mutatione — sed etiam, si Plinio fides habenda est, omnino mundi naturam explicaverunt. Quod enim Plinius (N. H. l. II, § 87 s.) ex illis de intervalli inter terram et planetas magnitudine tradit, ad κοσμικὴν διάθεσιν pertinet. Vides igitur, quam bene magnum librorum numerum explere potuerint. Itaque hoc mihi evicisse videor, amplius, et quidem non paulo, XIII libris porrectum fuisse opus astrologicum neque iatromathematicis cum his rationem intercedere.

Iam antequam pergamus, paululum in Manethonis carmine moremur. Inde enim multum nos profecturos esse credi potest ad rationem operis Petosiridei restituendam, cum ille aperte dicat, quae P. ἐπιτροχάδην scripsisset, metris heroicis se reddidisse. Inquiramus igitur, quanta fides homini habenda sit. Negaverat Koechly ullam omnino in eo fidem inesse et omnino de ipso huius nominis poeta dubitaverat. Contra quem nuperrime nonnulla monuit Engelbrecht in praefatione Hephaestionis Thebani. Is igitur recte evicit vixisse illum poetam, si modo fuit, ante Hephaestionem h. e. ante finem saeculi p. C. n. IV. Quae praeterea disputavit, mihi quidem v. d. non persuasit. Nam quod Paulinus Nolanus eum poetam antiquiorem dicit, nullum genuinae antiquitatis indicium est, ut ipsa librorum, quos nos tractamus, memoria pergente inquisitione prodet. Quod porro dicit praefracte negari non posse eundem esse Manethonem astrologum atque celebrem rerum Aegyptiarum scriptorem, errasse mihi videtur. Qui enim sub Ptolemaeis regibus vixit, is omnino scribere nequivit versus libri V 207 et 208. Sed haec aeque possunt interpolatoris cuiusdam stultissimi εὕρημα esse.

Ad nostra iam redeamus. Nihil igitur inesse adfirmo in omnibus omnino libris, quod cum Petosiridis, quae hodie exstant, reliquiis congruat. Immo libri VI versus 227 s. cum Ptolemaeo congruunt, longe abhorrent a duobus viris. At, dicet aliquis, solis libris primo et quinto praefixit illud τηλαυγὲς πρόσωπον. Miro igitur casu accidit, ut ne in his quidem insit, quod ad illos referri possit, desint pleraque, quae ab eis tractata esse constet. Tum aperte mentitur, cum dicit amicissimum longe sibi esse Petosiridem, quae verba non licet sic interpretari, ut sumas, assidua lectione Manethonem illum adamavisse. Iam apparet plane inutilem hanc farraginem ad restituendam librorum Petosirideorum rationem esse, qua de causa illum prorsus relegabimus.

Ad digniores testes redeamus. Tertium decimum librum prooemio instructum fuisse vidimus. Dolendum autem est,

quod nescimus, num ceteri quoque libri singillatim prooemiis instructi fuerint. Hoc enim si non fuisse sumemus, colligemus totum opus per hexadas distributum fuisse.

Poetici autem sermonis certissima in fragmentis insunt vestigia, unde dubitare licet, num omnino pedestri sermone compositi libri fuerint. Apud unum nempe Vettium quattuor loci exstant (l. III, c. 5; l. IV, c. 25; l. VI, praef.; l. VI, c. 11) senariis olim iambicis conscripti. Quo numero, quam libenter etiam in scientia usi sint veteres, vel Apollodori chronica demonstrant. Sed intentius inquiramus.

En iam in primo loco dubitatio movetur. Aenigmatis enim versus adferuntur, quod unusquisque intellegit in medio sermone pedestri aptissime potuisse numeris includi. Neque tertius locus admodum gravis est. Describit enim rex visionem quandam vel potius adscensionem suam ad deos. Quemadmodum fuerit inserta operi nescimus. Conicere tamen non sine aliqua veri specie licebit posita haec olim fuisse in praefatione vel totius operis vel singularis cuiusdam libri, quam facile concedemus salvo cetero sermone versibus conscriptam fuisse. Praesertim cum hic vel genuinorum et antiquissimorum Aegyptiorum mos esset, ut aedificia a se exstructa, libros a se conscriptos dei cuiusdam aut auctoritati aut consilio tribuerent. Quidni sumemus hoc Nechepsoni, aut quicumque eius nomen usurpavit, item lubuisse, ut totus liber dei cuiusdam — Mercurii puta — numini deberi videretur? Duo tamen restant loci alter et quartus, qui omnem talem explicationem respuant. Ingenue fateor me hic causam poetici sermonis omnino nullam invenire potuisse. Tamen contra manifesta testimonia illos quicquam valere nego.

Ac primum quidem falsus ille Manetho expressis verbis dicit, quae Petosiris ἐπιτροχάδην scripserit, se numeris heroicis cantaturum esse. Unde hoc certo apparet epicum versum a Petosiride nusquam usurpatum fuisse. Neque omnino haec intellegimus nisi sumpserimus prosaria oratione opus illud scriptum fuisse, quod a se translatum esse fingit poeta. Ma-

ximi autem momenti est Vetti locus difficillimus (l. VI, c. 11), ubi, quae a rege desumpsit, αὐταῖς λέξεσι profert. Bis ibi hoc dicit (fol. 124 v. h. in fine: καὶ ταῦτα... αὐταῖς λέξεσι προεθέμεθα; fol. 134 r. h. in fine: καθὼς ἐμήνυσεν ὁ βασιλεὺς... αὐταῖς λέξεσιν ὑποτάξω), quorum locorum prior carminis nec volam nec vestigium praebet, alter sic institutus est, ut carmen excipiat prosa oratio. Ut summam faciam, prosario sermone conscripti erant hi libri intermixtis, ut videtur, interdum carminibus.

Sermonem operis miro consensu omnes fere testes nobis tradunt obscurum et mysticum fuisse [1]. Quo hoc spectet, nondum intellexi. Ad poeticum sermonem referrem, nisi tam saepe occurreret hoc opprobrium, ut difficile sit credere his omnibus locis regem versibus locutum esse.

Difficillima omnium iam adeunda est quaestio, qua aetate hi libri scripti sint; quae cum arte coniuncta sit cum memoriae historia, licebit, antequam tempus definire conemur, de hac breviter disserere.

Fragmenta tantum ad nos pervenisse iam dixi. Inter Graecos auctores primus Petosiridis mentionem fecit Aristophanes comicus celeberrimus, cuius Athenaeus hunc versum e Danaidibus adfert:

καὶ τὸν κυλλάστιν φθέγγου καὶ τὸν Πετόσιριν.

Sed cum omnino nihil inde nisi merum nomen discamus, hunc testem omittamus; nam Aristophanes astrologum omnino significare noluit, barbaro nomine ad risum tantum audientibus excitandum usus.

Iam longum videtur intercedere spatium. Nam Lucillius demum, epigrammatum scriptor aetatis Neronianae, nomen Petosiridis adfert. Hunc sequitur, ut mihi videtur, Vettius Valens, de quo hic accuratius dicendum erit, cum scriptor sit adhuc ineditus.

---

[1] Lydus, de ost. c. 2. F. M. l. IV, c. 16 (in initio et fine capitis); l. VIII, c. 1. V. V. l. III, c. 1; l. IV, c. 11; l. IV, c. 25.

Eius ἀνθολογιῶν apographo Hamburgensi, postquam Usener eius notitiam mecum benignissime communicavit, Eyssenhardtii liberalitas, ut liberrime uterer, concessit. Postea vero, rursus Usenero benigne intercedente, Mau archetypum Romanum eis locis, quibus Petosiridis nomen apparet, diligentissime cum apographo contulit, unde haud pauca accesserunt, plurima, quae Usener iam ante in Hamburgensi correxerat, in ipso archetypo inventa sunt.

Codex is igitur est inter Vaticanos Graecos no. 191, saec. XIV, quam maxime compresse scriptus [1]. Fol. 89 incipiunt Vetti Valentis ἀνθολογιῶν libri octo, qui tamen, licet ipse codex sit incolumis, minime integri ad nos pervenerunt. Deest statim initii magna pars, item finis totius operis, porro in medio codice desiderantur finis libri quarti una cum initio libri quinti, ut, quas minores praebeat codex lacunas, taceam.

Ex hoc vero codice omne pendere apographum Hamburgense (h) pro certo affirmari potest. Hoc autem scriptum est saeculo XVII Lindenbrogii, ut catalogus Hamburgensis testatur, cuius in possessione erat, ipsius manu scriptum. Foliis 140 Vetti anthologias continet, inter codices bybl. Hamb. math. Gr. no. 40 insignitum. Plane easdem lacunas maiores continet atque Vaticanus (V) tam in initio et fine totius operis quam post librum quartum. Tamen ex ipso V illud descriptum non esse apparet. Primum enim haud paucis locis desunt complura verba, quae scripta exstant in V, tum etiam haud pauca aliter legit atque V, ita tamen, ut, quomodo corrupta aut correcta sint, pateat, denique, ubi magna illa lacuna est, quae hausit finem libri quarti cum quinti initio, in h post defectus notam leguntur haec: 'defectus trium foliorum et dimidii'. librarii eius, qui h descripsit, hic computus esse nequit, nam multo plura desunt, quam ille hoc spatio comprehendere potuerit. Medium igitur ali-

[1] Breviter eius indicem recensuit Parthey in Berl. Monatsber. 1863, p. 274 sq.

quem codicem intercessisse necesse est, quem ego simillimum credam codicis Parisiensis (Gr. suppl. 330 B), nisi re vera ipse is medius ille est. Uno tantum loco eius lectiones cum ceteris Useneri humanitate conferre potui, apparet tamen artissima necessitudine cum h coniungi P (cf. fgm. 23).

Codice denique Parisini et ipso simillimo Salmasius usus est, qui plurimis locis diatribae suae de annis climactericis Vettium, nomine saepe non nominato, adtulit.

Quisnam autem fuit Vettius ille Valens? Antiochenum eum fuisse libri testantur. Ipse nonnulla de sua vita libris inspersit, quae hic componere iuvat. Duobus locis Marcum fratrem appellat (l. IV, c. 11; l. VI, c. 11 in fine), cui totum opus inscriptum fuisse veri simile est. Saepissime contra antiquos rei sideralis scriptores disserit, quos ut propter caliginem et tenebras scriptis obductas reprehendit, ita suam ipsius simplicitatem, sermonem ad intellegendum facilem, brevitatem denique illorum ὕλαις συνταγμάτων opponit [1]. Ipsum enim διὰ πείρας plurima composuisse. Et re vera, si ei fides habenda est, haud paucos labores sustulit, ad scientiam plenam comparandam. Haec enim de se narrat (l. IV, c. 11, fol. 39 v, 40 r, h): ἡμεῖς δὲ πολλὴν μὲν χώραν διοδεύσαντες καὶ τὴν Αἴγυπτον διελθόντες (διεχθόντες h) διδασκάλοις φιλαργύροις περιπεσόντες τὰς μὲν τῶν χρημάτων δόσεις (δύσεις h) ἐποιησάμεθα διὰ τὴν περὶ τὸ ἔργον ἐπιθυμίαν, τῆς δ' ἀληθείας μὴ τυγχάνοντες ἐγκρατέστερον καὶ αὐτάρκη (αὐτάρκως h) ἑλόμενοι βίον περὶ ἕτερα ἠσχολήμεθα . . . καὶ δὴ πολὺν μὲν χρόνον ἀνιαρῶς διήγομεν καὶ ἐπὶ λύπαις τὰς μεταβολὰς τῶν τόπων ποιούμενοι τοῖς περὶ τὰ ταῦτα ἐσπουδακόσι συμμίσγοντες διάπειραν ἐλαμβάνομεν, μέχρις οὗ τὸ δαιμόνιον βουληθὲν διά τινος προνοίας τὴν παράδοσιν ἔν τινι τόπῳ πεποίηται διά τινος φιλομαθοῦς ἀνδρός.

Sed quam in docenda arte agnovit divinam providen-

---

[1] l. II, c. 1, 4, 6; l. III, c. 3, 4, 5, 8; l. IV, praef., c. 4, 11; l. V, c. 5, 9; l. VI, c. 8, 9, 10.

tiam, eam ne in componendo quidem opere sibi defuisse testatur loco memoria non indigno (l. VI, praef.), ubi queritur astrologiam iam pro nihilo haberi, immo tam periculosum esse eius studium, ut plerique mallent ἀμαθεῖς manere, quam eam doceri. Προέγραψα μὲν οὖν, inquit, ταῦτα καὶ αὐτὸς σεμνυνόμενος ἐπὶ τῇ περιχυθείσῃ μοι ὑπὸ τοῦ δαίμονος οὐρανίᾳ θεωρίᾳ, ἥτις νῦν ἀτιμάζεται καὶ ἀπελαύνεται καί ⟨περ⟩ προγενεστέρα ὑπάρχουσα καὶ τὰ πάντα διέπουσα ἐν τῷ βίῳ, ἧς ⟨δ'⟩ ἄνευ ⟨οὐδὲν⟩[1] οὔτ' ἔστιν οὔτ' ἔσται πώποτε (ὁπότε h), ἐπίφθονον δοκεῖ καὶ τοὔνομα κεκτῆσθαι, ὅτε οἱ πρὸ ἡμῶν ἐπὶ τούτῳ ηὔχουν καὶ ἐμακαρίζοντο. Iam sequuntur, quae infra invenies fgm. 1. De se autem haec adnectit: τὰ νῦν δὲ ἡ ἐξίχνευσις (ἡ ξύχνευσις h) καὶ κατόρθωσις τῶν πραγμάτων ὑπὸ τοῦ φόβου ἀμαυροῦνται (ἀμοιροῦνται h) καὶ προμαραίνονται. ἡ δὲ διάνοια ἀρνομένη (-μένοι h) καὶ ἀστήρικτος λογισμοῦ ὑπάρχουσα ἐν τοῖς αὐτοῖς (ἂν τοῖς h) οὐκ ἐπιμένει (-οι h), ⟨ἀλλ'⟩ ἄλλοτε ἀλλαχοῦ πηδῶσα τὴν πρώτην λήθην ἀναλαμβάνει. εὐπροαίρετος (ἐνπρ. h) δέ τις ὢν καὶ φιλόκαλος ῥᾳδίως ὄκνον ἀναλαμβάνει καὶ ἀμαθίαν (-ειαν h) αἱρεῖται μᾶλλον ⟨ἢ⟩ ἐπικίνδυνον ἀρετήν. ἀλλ' ὅμως ἐπὶ πάντων ἡ ἐπιθυμία κρατεῖ καὶ κολαζομένη καὶ λυπουμένη ἐπιμένει ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς. ἐμὲ δ' οὔθ' ἵππων δρόμοι[2] ποικίλοι καὶ ταχεῖα μάστιγος ῥοπὴ (ταχεῖαν et ῥοπὴν h) ἀνεπτέρωσεν οὔτε ῥυθμοὶ ὀρχηστῶν καὶ δι' αὐλῶν (διαύλων h. corr. Us.) καὶ μούσης κεκλασμένης ἀοιδῆς θέλξις ματαία ἔτερψεν (ἔτρεψεν h) οὔθ' ὅσα ποτὲ διὰ μεθόδων ἢ χλεύης ἐπάγεται τοὺς ἀκούοντας, ἀλλ' οὐδὲ μὴν ἐπιβλαβέσι καὶ ἀνωφελέσι (ἐπωφ. h) πράξεσιν, ἡδονῇ καὶ λύπῃ μεμερισμέναις, ἐκοινώνησα οὔτε μυσαράς τε καὶ ἐπαχθεῖς ἔσχον, ἀλλὰ θείᾳ καὶ σεβασμίᾳ θεωρίᾳ τῶν οὐρανίων ἐντυχὼν ἐβουλήθην καὶ τὸν ⟨νοῦν⟩ ἐκκαθᾶραι καὶ τὴν ψυχὴν ἀθάνατον προλῆψαι, ἔνθεν καὶ τὰ θεῖά μοι προσομιλεῖν ἐδόκει .... εἰ δὲ δοκεῖ πολλάκις περὶ τῶν

---

[1] sic Usener restituit.

[2] Versus subesse Usener vidit, quos tamen plenos restituere nequivi.

αὐτῶν λέγεσθαι ἀδιάφορον. ἃ (ἕνα h. corr. Us.) μὲν γὰρ ἐντυγχάνων τοῖς προγενομένοις συνέτασσον ἢ διὰ τὸ τῆς ἐπιθυμίας καὶ εὑρέσεως αἰφνίδιον. — ἐνθουσιᾷ γὰρ ὁ συγγράφων, μάλιστα δὲ περὶ τούτων, καὶ θεῷ προσομιλεῖν δοκεῖ, — ἃ δὲ καὶ κτλ.

Ceterum de ipso auctore fere nihil accepimus, nisi quod ipse nobis dicit libro III extr. in medio opere conficiendo gravi oculorum morbo se affectum esse ob nimium luctum de morte discipuli amati.

Qua aetate Vettius vixisset, inter viros doctos ambiguum erat. Cum Salmasio complures eundem hunc nostrum auctorem esse voluerunt, qui atque Constantinopolis urbis thema composuisset. Aliter tamen iam Scaliger iudicaverat [1], cuius rationibus fere nihil addi potest. Vixit igitur Vettius Ptolemaei fere aetate sub Hadriano et Antonino Caesaribus. Credas autem ante ipsam Pii mortem opus suum eum confecisse, quia libri quinti capite περὶ ἡμέρας χρηματιστικῆς annum eius numerat vicesimum quintum. Cum vero nec Pius neque Aurelius imperium per tot annos tenuerint, apparet ante Antonini mortem hunc terminum statutum esse. Et fortasse inde non nimis temere concludetur ad ipsum ultimum Pii annum nos hoc numero deferri, cum constet XXIII annos Antoninum imperii gubernacula tenuisse. Nam certo hic erat astrologorum mos, ut in exemplis annos ponerent, quoad fieri potuit, novissimos. In dubio hoc tamen nobis relinquendum erit, cum apud Fabricium (l. c. not. ll.) Dodwell testatur se illo loco κ̅α̅ numerum legisse [2].

---

[1] Cf. Fabricii B. G. ed. Harl. v. IV, p. 145/6.

[2] Videbatur e V certus terminus fluere. Ibi enim fol. 90 v in margine haec adduntur:

ἀλεξαν$^{\delta}$ ἀθὺρ κ̅ς̅ φαμενω$^{\vartheta}$ ι̅κ̅ (sic)
ἐλλ$^{\eta}$ νοέμβριος κ̅β̅ μαρτι^{o}
κ̅ζ̅ αἰγυπτ τυβι$^{\vartheta}$ α̅ φαρμου' κ̅ζ̅

Quos terminos tamen et ratiocinatio probat non posse ad unum eundem-

Num vero ipsius Valentis opus ad nos pervenerit, valde dubium est. Nam et in Vaticano quidem (fol. 90v) aperte superscribitur libro tertio ἐκ τῶν βάλεντος et ipse librorum status hoc confirmare videtur ad nos non pervenisse nisi excerptoris cuiusdam epitomen.

Hic igitur Vettius Valens et maxima et plurima librorum N. et P. deperditorum fragmenta nobis servavit. Eodem autem tempore papyrus Aegyptii cuiusdam horoscopo inscripta est illa, quam post Youngium (Hierogl. II, 52) edidit et commentario instruxit Seyffarth (in beyträge ect. fasc. IV, p. 211 sq.; rursus prodiit in libro Notices et extraits v. XVIII, 2), scripta primo Antonini anno. E qua, cum de ratione duorum virorum sperari possit nos aliquid doctum iri, dolendum est, quod ipse astrologus fatetur miscuisse se rationes Chaldaeorum et Aegyptiorum, ita ut integra inde scientia hauriri nequeat. Unum tantum fragmentum nobis servavit Ptolemaeus, si modo is genuinus Ptolemaeus est, qua de re tamen propter veterum testimonia non licebit dubitare, Vetti, ut vidimus fere aequalis [1].

Post longum intervallum, nam Manethonem, ut supra vidimus, omittere licebit, hunc excipit Hephaestio Thebanus, qui tamen, utrum ipsum Aegyptiorum opus triverit necne, incertum est. Sequitur Proclus, Ptolemaei ille paraphrasta et Platonis successor, cui duo Petosiridis fragmenta

---

que annum referri et errore hic adscriptos esse apparet, si videris paullo infra in contextu Vetti exemplum, quod ipse refert ad ἔτος Ἀδριανοῦ γ̄ ἀθὺρ κ̄ϛ̄ et ἔτος Ἀντωνίνου ιζ̄ φαμενὼθ ι̅α̅, unde ι̅κ̅ in mg. V corrigatur.

[1] Ne is quidem integer ad nos pervenisse videtur. Exstat apud Hephaestionem Thebanum l. I, c. 18, quod unde fluxerit se nescire fatetur editor; est tamen Ptolemaei, nam legit haec, qui scholia in eum scripsit, anonymus. (Cf. p. 47/48 ed. Wald. Basil. 1559.) Si e Dorotheo, quem idem tradidisse scholiasta adfirmat, sua H. sumpsisset, solito more ipsos versus dedisset. Mirum tamen est, quod neque Proclus paraphrasta haec habet, neque in eo, qui servatur, Ptolemaeo obvia sunt.

debentur, quae in lucem protraxit Schoell in anecdotis Graecis ab ipso una cum Studemundio editis (rursus ea vulgavit de Pitra, anal. sacr. v. V.). Qui proximus est Laurentius Lydus in libro de ostentis, non ipsum Petosiridem adiit, sed Campestris cuiusdam opus, quod idem adhibuit, qui Romanorum ultimus Petosiridem cognovit, doctus Servi interpolator (ad Aen. X, 272).

De Campestri non nulla adtulit C. Wachsmuth (in ed. Lydi praef., p. XXVII). Intellexit iungendam esse longam Campestris de cometis disputationem et anonymi, quem ibidem primus ediderat[1], breviorem cum Serviana de cometis explanatione, quae omnia e Petosiriacis Campestris manasse veri simile est.

Recte tres illos locos coniunxit v. d. Hoc tamen intellegitur, non posse omnia, quae in his capitibus e Campestri adferuntur, e genuino, si quem putamus, Petosiride hausta esse. Nam licet seponas accuratam de tempore quaestionem, patet tamen, quae Lydus nobis adfert, non potuisse scribi Plini aetate, nedum 150 vel 200 annis ante. Si igitur sumemus mentitum non esse Campestrem, quod Petosiriacas παραδόσεις se secutum esse dicit, sic rem intellegamus necesse erit: quae in P. N.que libris de cometis ad solam Aegyptum spectantia[2] scripta essent, ea Campestrem ad sui aevi et Romani, quod tunc erat imperii statum rationemque adaptavisse. Ad tertium autem quartumve p. C. n. saeculum recte Wachsmuth scriptorem reiecit, cum constans ille Persarum metus, ni fallor, optime cum ultimis saeculi tertii annis conveniat. Ex illis autem, quae disputavimus, sequitur, ut P. fragmentis haec quoque omnia tribuenda sint, modo reminiscamur, non genuinum limpidumque rivum nobis obferri.

---

[1] Est autem hic anonymus Hephaestio (cf. H. l. I, c. 24).

[2] Nam ut primi tantum climatis anaphoras rex exposuisse traditur, ita certo in aliis quoque rebus Aegypti unius vel regionis finitimae rationem habuit.

Ultimus denique, quantum video, operis Petosiridei notitiam habuit, qui Ptolemaei tetrabiblum scholiis instruxit. Is autem, cum accuratiorem horum librorum notitiam prodat, credendus est e bono quodam auctore, et aliquot saeculis ipso antiquiore, cuius nomen nos nescimus, sua hausisse.

Inter Romanos auctores plurima, ut par est, fragmenta astrologus nobis servavit Firmicus Maternus, qui quibus auctoribus usus sit nondum exploratum est. Praeter illum astrologiae meminit, si Suetonium excipis, cuius admodum exilis locus est, unus Plinius, bis in indice auctorum, in ipsis libris altero semel, semel septimo. Manilius autem nihil habet, quod cum aliqua veri specie huc referas.

Sed ut veri dissimile est inspexisse Plinium ipsos libros, sic me demonstraturum esse spero, unde sua decerpserit. Circumspicienti enim mihi, quem pro sua consuetudine auctorem Romanum sequi potuerit Plinius, duo tantum sese obferebant, Terentius Varro et Nigidius Figulus. Sed Varro nobis neglegendus erit, ut qui astrologiam apotelesmaticam non nisi ἐν παρέργῳ tractaverit et, cum totus a Graecis penderet vix praeter Chaldaeos alios astrologos cognoverit. Nigidium autem ut Plini auctorem censeamus, argumenta haud contemnenda nobis suadent. Ac primum quidem eiusdem libri septimi, cuius N. et P., Nigidius quoque auctor est. Inter libri alterius auctores sane non apparet. Sed mirum, quod Plinius N. et P. Pythagoricos appellat. Unde hoc habet? Auctores, quos ipse inter antiquissimos refert, quos ante scholam Aesculapi vixisse tradit, Pythagorae tandem sectatores fuere! Quis hoc eredat? Feliciter igitur contingit, quod Nigidium strenuum sectae Pythagoricae discipulum fuisse audimus, quem tanti in ea philosophia aestimat Cicero, ut renovatam ab illo disciplinam tradat (Tim. 1). Quam celebre autem fuerit Nigidi studium Pythagoricum, colligas ex eo, quod Hieronymo Pythagoricus et magus audit. Sed quid ego multa post sat ampla doctorum virorum de Nigidio studia? Ut brevis sim, constat Pythagoricum eum fuisse; con-

stat astrologiae apotelesmaticae eum operam impertivisse; constat, ut Swoboda, cuius notitiam Buecheleri humanitati debeo, nuperrime docuit (Nigidi Figuli rell. Vindob. 1889), in ipsa astrologia Aegyptios magis secutum eum esse quam Chaldaeos: vix, credo, dubitari poterit, quin Plinius hunc potissimum secutus sit [1].

Suetonius unde sua hauserit, exploratum mihi non est. Tamen cum e Reifferscheidio (p. 444/6) didicerim in rerum natura describenda Nigidium ab eo non neglectum esse, fortasse et hanc Nechepsonis notitiam eidem debet.

Postquam igitur viam praemunivimus, redeat, unde orta est, argumentatio. Quaesiveramus autem genuinine hi libri essent et cuius aetatis. Atque antiquissimorum illorum, quos papyri Aegyptiae demoticae nominant, eos fuisse nemo credet. Potuerunt sane illi libros quosdam astrologicos componere et adfert, si Lauthio fidem habemus, prior charta scriptum aliquod Nechepsonis de caeli motu cyclico. Sed ut ipse rex in illo quoque fonte antiquissimo fictus esse potest, ita liber mere astronomicus esse videtur. Quod vero libri, quorum rudera ad nos pervenerunt, N. et P. nomina prae se ferunt, inde nihil probatur, nisi fuisse certo illos celeberrimos ipsorum Aegyptiorum in astrologia auctores. Ipsi vero Aegyptii quam fingendae librorum antiquitati indulserint, non uno exemplo monstrat Wiedemann. Ergo, si quando quis probaverit, genuinam aliquam Aegyptiorum scientiam in illis, quae hodie servata sunt, reconditam esse, recentiorum potius Aegyptiorum commenta credemus, quam venerandae antiquitatis monumenta. Aristophanis autem versus, quam nihil probet, iam dixi.

Proficiscendum igitur est a Plinio, quem Nigidium esse vidimus. Is autem vixit inter annos a. C. n. C fere et XLV.

---

[1] Aliter iudicavit O. Gruppe (Hermae v. XI, p. 237), qui ferme contendit omnem Plini librum alterum e Varrone fluxisse. Sed verbi gratia eiusdem libri § 47 auctor non nihili aestimandus, C. Wachsmuth, ad Nigidium refert (praef. ad ed. Lydi de ost., p. XXVI).

Unde sequitur scripsisse eum circa annum LX. Eundem fere operis Nigidiani terminum definivit Swoboda (l. i. p. 56), qui circa annum LIX illud in doctorum hominum manibus versatum esse censet. Certo igitur ante hoc tempus Nigidio Aegyptii illi iam innotuerant. Sed artiorem fortasse terminum nanciscemur, si meminerimus libri Ciceroniani, qui est de divinatione. Quem cum scriberet ille nihil de Aegyptiorum vetustissima scientia siderali novisse videtur. Posidonii autem librum cum arte sequeretur, par erat, ut si modo exstitisset opus Petosiridis, nominaretur. Nam Posidonius quanta credulitate nequissimi cuiusque falsarii ficticios libellos amplexus sit, luce clarius monstrat Strabonis locus, quem Usener, qua est humanitate, mihi suppeditavit. Is igitur (XVI, 24, p. 757 C): εἰ δὲ δεῖ, inquit, Ποσειδωνίῳ πιστεῦσαι, καὶ τὸ περὶ τῶν ἀτόμων δόγμα (Democriti sc.) παλαιόν ἐστι ἀνδρὸς Σιδωνίου Μώχου πρὸ τῶν Τρωικῶν χρόνων γεγονότος. Hoc igitur absurdissimum qui credere potuit, certe, si modo novisset, Petosiridis mentionem fecisset. Itaque cum ante annum a. C. n. LX Nigidi liber apparuerit, antea autem Petosiridis opus vulgatum esse debeat, vix ante annum LXXX fictum esse potest. Aetatem autem illam, Alexandrinorum quam vocant, fingendis scriptis maxime favisse abunde constat. Altero a. C. n. saeculo vixit Bolus Mendesius, quem falsarium Democriteum fuisse notum est. Illi quoque aetati tribuenda erit Phoenicum historia, quae Sanchuniathonis cuiusdam se esse fingit. Eadem sub Hecataei nomine fictus esse videtur liber de Iudaeis s. de Abraàmo, eadem librorum Sibyllinorum interpolationes neque minus sapientia illa celebris Salomonis regis. Sed in re notissima exemplis opus non est. Accedit autem, quod tertio saeculo Berosus astrologiam Chaldaeorum cum Graecis communicavit. Facile enim quilibet adduci hac re poterat, ut ad celebrem Aegyptiae sapientiae antiquitatem denuo probandam Berosi operi opponeret libros vetustissimorum Aegyptiorum.

Iam videndum est, ipsine libri nobis temporis ratiocina-

tionem confirment. Qua in re primum possis quaerere, astronomica scientia, quam prodant, num hac aetate cogitari possit? Sed cum ipse astronomiae parum peritus certa proferre non possim, doctioribus hanc quaestionem ex ipsis fragmentis diiudicandam relinquam. Videamus potius, num quae philosophiae notitia in fragmentis insit, unde tempus definiri possit. Dolendum autem est, quod teste uti non possumus, nisi satis recenti, Firmicum dico. Neque enim aut Plinius aut Vettius aut quicumque alii ante Firmicum N. et P. commemorarunt, quicquam ex philosophia petitum produnt.

De Firmici igitur auctoribus non constare iam dixi. Ipse autem omnia confundit. Uno enim tenore Mercurium, Enichnum, Aesculapium, Nechepsonem et Petosiridem, Abraamum, Orpheum, Critodemum suos auctores nominat, quorum unus Critodemus verus auctor est, ceteri ad unum omnes ficti. Hoc tamen inde disci poterit, idque gravissimum, quia contra temporis definitionem modo a nobis datam facere videtur, coniunxisse Firmicum N. et P. cum Mercurio, h. e. cum eis scriptis, quae Hermetica dicunt. Quod confirmatur eo ipso loco, quo philosophiae species saltem nobis servata est. Nam l. III, c. 1 post propositam mundi genituram thematis causas explanat. Quam explanationem si genuinam censuerimus de N. et P. philosophia constabit. At cum Mercurio expresse eos ita iungit: 'Secuti', ait (N. et P. sc.), 'Aesculapium et Anubium, quibus potentissimum Mercurii numen istius scientiae secreta commisit'. Cum autem de Anubio, quem nonnulli v. d. iniuria eundem esse volunt atque Anubionem poetam, nihil constet, notissimum est, quantas in dialogis Hermeticis partes tueatur Aesculapius. Doctrina autem Hermetica a Zellero alteri demum p. C. n. saeculo tribuitur: neque enim ante Plutarchum ullam eius memoriam exstare. Quodsi Firmici philosophia, quam l. i. exponit, cum Hermetica coniungi poterit, quid faciemus? Et videtur pars saltem Hermeticis quoque tribui posse. Astrologiam ab eis magni aestimatam fuisse constat (Zeller, III, 2[3], p. 229, n. 3). Quod Firmico

homo mago est totius mundi, Hermetici tres deos agnoscunt: primum θεὸν ἀφανῆ, alterum mundum, tertium denique hominem (Zeller, ib. p. 228, n. 5, 6). Haec tamen doctrina poterit etiam a Neopythagoricis, quos vocant, repeti, qui hominem microcosmum esse volebant (Zeller, l. i. p. 136); huius autem scholae Nigidium auctorem fuisse vidimus. Sunt tamen, quae et ab Hermetica doctrina et a Neopythagorica abhorreant. Quae enim Firmicus de mundo per ἐκπύρωσιν et κατακλυσμόν redintegrando tradit, Stoicum sapiunt, cum duae illae scholae mundum nunquam interiturum contendant (Zeller, l. i. p. 228, n. 3; p. 130). Vides, quanto intentius in rem inquiramus, eo magis difficultatibus nos impediri. Denique, non is Firmicus esse videtur, cui fidem habeas, immo, ut Campestrem intelleximus renovasse certo modo et ad sua tempora transtulisse, quae in antiquis auctoribus invenisset, sic hunc dicemus suae aetatis opiniones cum antiquioribus miscuisse. Inde irrepserunt Mercurius et Aesculapius et deus vel homo ille, cuius ne nomen quidem aliunde innotuit, Enichnus, inde philosophia quoque illa, quam nos nostro iure a Nechepsone et Petosiride alienam iudicabimus.

Nullum igitur ex ipsis fragmentis testimonium nacti, rursus ad meram ratiocinationem reicimur. Spero tamen veri non dissimilia esse, quae supra hac ratione disputavimus. Certius fortasse tempus nancisceremur, si constaret, quando Antigonus ille vixerit, qui Aratum commentario instruxit. Hunc enim post P. vixisse tradit Lydus (de ost. c. 2).

A l e x a n d r i a e vero nati esse videntur hi libri. Nam cum veri simile sit illos quoque originem suam duxisse, unde omnes fere illius aetatis libri ficti, tum propter ipsorum, quos prae se ferunt, auctorum gentem aptiorem patriam vix inveneris.

Haec fere habui, quae de scriptis astrologicis praemonerem. Atque ut summam totius disputationis brevi repetam, prodierunt intra annos a. C. n. LXXX et LX Alexandriae sub nomine antiquorum astrologorum olim in Aegypto cele-

brium libri, ut minimum dicam plus tredecim, qui primo p. C. n. saeculo adeo celebres erant, ut Petosiridis nomen et Lucillio et Iuvenali pro omnibus astrologis usurparetur. Per quattuor autem fere saecula astrologorum in manibus servati, tum neglecti, exceptis aliquot fragmentis prorsus perierunt.

Restant libri iatromathematici, quos cum astrologicis coniungendos non fuisse supra demonstrasse mihi videor. Sed plura hic proferam argumenta. Locus Galeni, qui ansam praebuit viris doctis, ut cum astrologia hoc opus coniungerent, sane cum siderali scientia concinnari potest. Draco enim radiis cinctus re vera solis imago est, qua insculpti hodie quoque exstant lapides inter amuleta, quae vulgo gnostica vocant; quorum unum repraesentavit Salmasius (de annis climact. p. 566), Chnubidis nomine insignem, quo nomine unum e decanis appellatum esse constat [1]. Alia exempla in Koppii palaeogr. crit. voll. III et IV, si cui tanti est, quaerat.

Sed hoc dignum est, quod pensitemus, ubicumque medicus liber commemoretur, Nechepsonis tantum nomen exstare. Sic, qui unus est praeter Galenum testis, Aetius, quem bono fundamento niti probat Rose (Hermae v. IX, p. 474 sq.) N. solum novit. Adde quod Firmicus, qui sane utrumque novit, in capite de decanis (l. IV, c. 16), ubi in re astrologica aperte Petosiridem nominat, tamen, ubi decanorum in vitiis et valetudine potestatem commemorat, unius N. nomen profert. Idem porro expressis verbis haec scribit (l. VIII, c. 3): 'Hunc enim locum (de vitiis sc.) divinus ille N., ut remedia valetudinum inveniret, diligentissime ... manifestis tractatibus explicavit. Huius ego libri interpretationem alio tibi tempore ... intimare curabo'. Liber separatur manifesto ab astrologicis, solus iterum N. nominatur. At in astrologicis libris adeo P. celeber erat, ut apud posteros videretur unus auctor esse.

---

[1] De ipsa re cf. et pap. Paris. magnam vs. 939 sq. (ed. Wessely) et Pitrae anal. sacra (v. V, 2, p. 287), ubi tertius decimus decanus describitur. Qui sane in lapidis nomine a Galeno dissentit.

Campestris enim Petosiridem unum cognovit, hunc unum nominant Hephaestio et Lydus (in catalogo astrologorum, de ost. c. 2). Neque quisquam Iuvenalem mihi opponat. Nam ut, qualis illi P. habeatur, iam dixi, ita valde dubium est, num omnino eius verba ad librum iatromathematicum spectent. Possunt enim referri ad παράπηγμα quoddam ἡμερῶν h. e. recensum dierum horarumve faustorum infaustorumque, qualem Petroni Trimalchio in triclinio habet.

Quattuordecim, ut minimum dicam, libris opus compositum fuisse, Galenus nos certiores facit. Quo autem tempore natum sit, omnino non constat.

Num denique chymicum librum scripserint duo viri, vel alter eorum, in dubio relinquendum erit. Certo chemicum Nechepsonem, nomine non nominato dicunt scholia Lucani: quod primus agnovit Usener (Mus. Rhen. XXVI, p. 157/58), nunc prorsus confirmant ipsorum chemicorum libri, quibus ποιητής is est, qui auri fabricandi artem profitetur. Ipsum autem illud N. dictum Firmicus (l. IV, c. 16) adfert ex opere medico, cui fortasse uni iure vindicabitur.

Accedemus ad ea, quae suppositis supposita sunt, omnia fere inedita. Quorum ut aliqua saltem specimina proferre possim, me devinxit Rudolfi Beerii et Augusti Hausrathii amici indefessa benevolentia.

Tria igitur sunt genera falsorum opusculorum. Primum illud, cui praefatur vel Harpocratio vel Mercurius. In hoc libello agitur de sympathia lapidum et herbarum, non tamen ea, de qua Nepualius et Democritus personatus scripserunt, quos edidit nuperrime Gemoll (Strigaviae 1887).

Alterum genus onomatomantiam, quae vocatur, comprehendit, qua de mortis exitu, de gladiatorum pugna, talibus, secundum computum e nominis litteris certisque numeris, quorum unusquisque singulari lunaris mensis diei proprius est, divinari potest. Hoc genus satis antiquum esse probatur eo, quod versio latina inest in codice Terenti Victoriano (D); quem decimo vel nono saeculo scriptum esse censet Umpfen-

bach (praef. p. XIX, quem locum Buecheleri humanitati debeo).

Tertium genus uno tantum exemplo nobis repraesentatur. Simile est illud praecedenti, sed differt eo, quod certis dierum numeris caret. Ceterum huic maxime generi adfinis est sphaera Democritea quam servavit papyrus V Leydensis.

Haec habui, quae fragmentorum recensioni praemitterem. Antequam autem ipsa succedat, licebit haec de ordine fragmentorum adnotare. Agmen ducent testimonia, sequentur astrologia, medicina, liber περὶ θεῶν. Excipientur haec ab illis libris, quorum tituli tantum supersunt, ultimam denique sedem supposita tenebunt. In ipsa vero astrologia recensenda, cum unius tantum fragmenti sedes constaret testimonio, Ptolemaei ordinem secutus, primo loco posui, quae ad mundi naturam spectant, tum ea, quae ad apotelesmaticam generalem pertinent. Pro temporis ratione disposita sequetur apotelesmatica specialis, ut se excipiant, quae ante genituram, quae in ea, quae post eam observari debeant. Qua in re num genuinum ordinem restituerim, in dubio relinqui fateor.

Nechepsonis et Petosiridis relliquiae.

I. Testimonia.

1. Suidas v. Πετόσιρις. Αἰγύπτιος. φιλόσοφος. καθὰ Ἕλληνες καὶ Αἰγύπτιοι τὰ περὶ θεῶν διετάξαντο. ἐπιλογὰς ἐκ τῶν ἱερῶν βιβλίων ⟨ἢ⟩ ἀστρολογούμενα. καὶ περὶ τῶν παρ' Αἰγυπτίοις μυστηρίων.

2. Aristophanes apud Athenaeum III, 114 C (F. C. G. II, 2, p. 1047).

καὶ τὸν κυλλάστιν φθέγγου καὶ τὸν Πετόσιριν.

Αἰγύπτιοι δὲ τὸν ὑποξίζοντα ἄρτον κυλλάστιν καλοῦσι. μνημονεύει δ' αὐτοῦ Ἀριστοφάνης ἐν Δαναΐσιν. καὶ κτλ.

3. Lucillius in Anthol. Pal. XI, 164.

Εἶπεν ἐληλυθέναι τὸ πεπρωμένον αὐτὸς ἑαυτοῦ
τὴν γένεσιν διαθεὶς Αὖλος ὁ ἀστρολόγος,
καὶ ζήσειν ὥρας ἔτι τέσσαρας. ὡς δὲ παρῆλθεν
εἰς πέμπτην καὶ ζῆν εἰδότα μηδὲν ἔδει
αἰσχυνθεὶς Πετόσιριν ἀπήγξατο, καὶ μετέωρος
θνήσκει μέν, θνήσκει δ' οὐδὲν ἐπιστάμενος.

4. Iuvenalis, sat. VI, 581.

— capiendo nulla videtur
aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.

'Petosiris alter' (prior Thrasyllus) 'auctor mathematices'. schol. cf. fgm. 3.

1, 1. τὰς cod. 2. ⟨φήμας⟩ suppl. Bernhardy. τὰ Us. 2. ⟨ἢ⟩ ego. ἱερὰ βιβλία et ἀστρολογούμενα coniunxit Bergk quoque (F. C. G. II, 2, p. 1048.

5. Suetonius apud Ausonium, epist. 19 (Reiff. no. 177).
quique magos docuit mysteria vana Nechepsus.
Ausonius Pontio Paulino . . . iam prima nox erat ante diem XIX kal. Ian., cum redditae sunt mihi litterae tuae oppido quam litteratae. his longe iucundissimum poema subdideras, quo (quod vg. corr. Rff.) de tribus Suetonii libris, quos ille de regibus dedit [in] (del. Rff.) epitomen coegisti . . . in his versibus ego ista cognovi: . . . quique ect.

6. Papyrus Salt (edd. Seyffarth, Beytr. fasc. IV, p. 212 sq. Lauth, Muench. Ber. 1875, II, p. 96. Notices et extraits XVIII, 2).
σκεψάμενος ἀπὸ πολλῶν βιβλίων, ὡς παρεδόθη ἡμεῖν ἀπὸ σοφῶν ἀρχαίων τουτέστι Χαλδαϊκῶν κα⟨ὶ Πε⟩τόσιρις. μάλιστα δὲ καὶ ὁ βασιλεὺς Νεχεψώ, ὥσπερ καὶ αὐτοὶ συνίδρυσαν ἀπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἑρμοῦ καὶ Ἀσκληπιοῦ, ὅ⟨ς⟩ ἐστιν Ἰμένθου υἱὸς ἢ Ἡφαίστου.

7. Firmicus Maternus l. IV, praef. (p. 84 ed. Basil. 1533).
Omnia enim, quae Aesculapio Mercurius Enichnusque tradiderunt, quae Petosiris explicuit et Necepso, quae Abraham, Orpheus et Critodemus ediderunt . . . in his perscripsimus libris.

8. Ps. Manetho (A 11 ed. Koechly, Lips. 1858).
vs. 3 ἄξιά σοι τάδε δῶρα φέρω βασιληΐδος ἀρχῆς . . .
8 νυκτὸς ἄυπνος ἐὼν καὶ ἐν ἤμασι πολλὰ μογήσας,
11 ὄφρα κεν, ὅσσα περ αὐτὸς ἐπιτροχάδην Πετόσιρις
εἴρηκεν, τάδε πάντα μάλ' ἀτρεκέως καταλέξω.

9. Idem (E initio).
Ἐξ ἀδύτων ἱερῶν βίβλων, βασιλεῦ Πτολεμαῖε,
καὶ κρυφίμων στηλῶν, ἃς ἤρατο πάνσοφος Ἑρμῆς,

6, 4. Πετοσίριος Lauth. — Νεχεψώ, ὥσπερ Us(ener). Νεχεὺς ὥσπερ cod. 5 συνήδρευσαν cod. 'fort. συνίδρυσαν "coniuncti dedicarunt" i. e. coniuncti litteris mandaverunt, instructi a Mercurio'. Us. — ὅ⟨ς⟩ ego. — 7 ἢ Ἡφαίστου ego. ηφηστου Lauth. ηεφεστου Seyff.

σύμβουλον πινυτῆς σοφίης Ἀσκληπιὸν εὑρών
5 . . . . κεκόμισται
ἀνθολόγου μούσης βλύζον δώρημα μελισσῶν.
10 οὐ γάρ τις τοίης σοφίης ἔτ' ἐμήσατο κῦδος
ἢ μοῦνος Πετόσιρις, ἐμοὶ πολὺ φίλτατος ἀνήρ.

10. Ioh. Laurentius Lydus, de ost. c. 2 (ed. C. Wachsmuth).

Ἁρμόδιον δὲ εἶναι νομίζω τῷ περὶ τῶν τοιούτων γράφειν ἐθέλοντι, πόθεν τε ἡ τῶν τοιούτων κατάληψις ἤρξ⟨ατο λέγ⟩ειν, καὶ ὅθεν ἔσχε τὰς ἀφορμὰς καὶ ὅπως ἐπὶ τοσοῦτον προ⟨ῆλθεν⟩, ὡς καὶ αὐτούς, εἰ θέμις εἰπεῖν, Αἰγυπτίους ὑπερβαλεῖν. τούτων ⟨γὰρ δὴ μετὰ⟩ Ζωροάστρην τὸν πολὺν Πετόσιρις τοῖς εἰδικοῖς τὰ ⟨ἐν γένει διαπλέ⟩ξας, πολλὰ μὲν κατ' αὐτὸν παραδοῦναι βιάζεται, οὐ πᾶ⟨σι δὲ παρα⟩δίδωσι ταῦτα μόνοις δὲ τοῖς καθ' αὐτόν, μᾶλλον δέ, ὅσοι καὶ ⟨αὐτῶν⟩ πρὸς στοχασμοὺς ἐπιτηδειότεροι. Ἀντίγονος δὲ μετ' ἐκεῖνον δι⟨έκριν⟩ε μὲν καὶ διήρθρωσε τὴν παράδοσιν, πρὸς δὲ τὸ πυκνὸν ⟨τῶν ἐν τῇ ἀστρ⟩ονομίᾳ γραμμῶν ἀποκλίνας ἀμύθητον ὄχλον ⟨καὶ ἀσαφείας πάσης ἀ⟩νάμεστον τῇ γραφῇ συγκατέθετο.

11. Anecd. Oxon. III, p. 171.

Ἐπιστολὴ ἀνεπιγράφου τινός.

. . . τῶν γὰρ ἄλλων Αἰγυπτίων ληρημάτων ἅλις ἐμοί. . . . καὶ ὅσα Κνοῦφις ὁ παρ' ἐκείνοις Ἀγαθὸς δαίμων παρέδωκε καὶ ὁ τούτου μαθητὴς ἐφιλοσόφησεν Ὄσιρις, καὶ ὅσα προσέτι ὁ τὰ τούτων διαδεξάμενος Σούσωθις ἢ Νεχεψώ τις ἕτερος βάρβαρος καὶ ὅσα ἄλλοι τοιοῦτοι, τοῖς ἀντιμαχίαις τῆς συμπαθείας ἐκείνης ἀπωνάμεθα.

Fragmenta ipsa edentur in Philologo.

11, 3. καὶ ὅσα Us. καὶ ὁ ed. 5. καὶ ὅσα Us. καὶ ὅσοι ed. — ἀντιμαχείαις ed.

Vita.

Natus sum Ernestus Riess Hamburgi die XVIII m. Novembris a. h. s. LXV, patre Bernhardo, quem praematura mors suis eripuit, matre Paulina de gente Mack, qua superstite gaudeo. Fidei addictus sum Iudaeorum. Litterarum elementa privatim doctus a. h. s. LXXIV scholam collegii Iudaeorum Hamburgensis adii, quae Talmud Tora vocatur. Auctumno a. LXXVI Gottingam transportatus gymnasium adii, quod tum Schoening, mox Hampke regebat. Anno LXXX patriam reversus in gymnasium Iohanneum receptus sum, quod tum Hochio rectore florebat, praeest ei nunc F. Schultess, studiorum meorum fautor indefessus. Vere a. LXXXV maturitatis testimonio instructus Heidelbergam migravi, ut litteris et arti antiquis studerem. Unde post quinquies sex menses Bonnam me transtuli, ubi hieme anni LXXXIX examen pro facultate docendi superavi.

Docuerunt me vv. dd. Brandt, de Duhn, Erdmannsdoerffer, Fischer, Lefmann, de Oechelhaeuser, Osthoff, Rohde, Schoell, Uhlig, Wachsmuth, Zangemeister Heidelbergenses, Buecheler, Kekulé, Loeschcke, Luebbert †, Nissen, Usener, Wiedemann Bonnenses. Seminarii philologi Heidelbergensis per bis sex menses sodalis fui ordinarius Rohdii Schoelliique benevolentia, in Bonnense per idem spatium receptus sum Buecheleri, Luebberti, Useneri benignitate. Seminarii historici sodalem quater me fecit Nisseni humanitas. Exercitationibus ut interessem benigne permiserunt umbricis Buecheler, epigraphicis latinis Buecheler, Zangemeister ter, Graecis de Duhn et Osthoff, archaeologicis de Duhn quater, ter Kekulé, semel Loeschcke.

Quorum omnium gratam semper servabo memoriam. Buechelero autem, de Duhn, Usenero ut beneficiorum aliquando debitam gratiam reddam, fore despero.

Sententiae controversae.

1. S. Hippolyti refutat. haeres. l. IV, c. 14 περὶ ὀνοματομαντίας omne ex Elxaitarum doctrina, Mandaeorum lingua fluxit.

2. Papyri Londinensis XLVI (ed. Wessely) v. 144 scribendum est ἀναζωπυρήσει (ἀλλαξωπυρήσει charta et ed.).

3. Papyri magnae Parisinae (ed. Wessely) v. 289 scribendum est: τινὰ χρείαν. (τινακρειαν charta, Τρινακρίαν ed.).

4. Petroni Trimalchio (c. 39) in Piscibus rhetores nasci fecit inductus vocis obsonatorum ad sonandum allusione.

5. Inscriptio poculi Moguntiaci, quam Lindenschmitt edidit (in Westdeutsche Ztsch. VIII, 270) hac forma: accipe me, sities, et trade sodali, metro olim heroico adstricta erat sic fere:

   accipe me sitiēs et ⟨potus⟩ trade sodali.

6. Vascula picta Italiae inferioris sepulcralia ex arte plastica Attica anaglyphorum sepulcralium pendent.

